





28

OBSERVATIONVM
DE POENIS ILLARVMQVE FINIBVS EX PLACITIS IV.
RIS NATVRAE RECTE AESTIMANDIS,
SPECIMEN IV.

1793,
12^a

Q V A S

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E
CAROLO FRIDERICO TRILLERO
PHIL. ET IVR. VTR. DOCTORE

DIE XIV. FEBRVARII A. R. S. MDCCXCIII.


H. L. Q. C.

E NVMERO EORVM

QVI SVB EIVS AVSPICHS SCRIBENDO ET DISSERENDO
SE EXERCENT

PVBLYCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

FRIDERICVS GVILIELMVS LAVTSCH
I E S S E N A - S A X O .



V I T E M B E R G A E ,

L I T E R I S T E S C H I E D R I C H I L .

4



OSSEKATIONVM
IN TONNIS H. LARMOVE P. N. B. S. P. C. T. S. W.
RIS NATVRAE RECTE AESTIMANDIS
SPECIMEN IN

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AUCTORITATE
FRASIDE
CAROLO FRIDERICO TRILLERO


PHIL. ET IVE. THE. DOCTORE
THE XIV. JEREMIAH A. R. S. INDOCKHIL

QUI SVB EIVS AVTHORIS SCRIBENDO ET DISCERNENDO
SE EXERCENT

FRIDERICVS GUILIELMVS LAVTSCHE

VII. JEREMIAH
LITTERIS THEOPHILIP. S. P. C. T. S. W.





S. 17.

Delictorum causa et ratio in fato Stoico ponenda non est.

Ex his, quae in Spho anteced. demonstravimus, satis patet, neque delicta aequalia fingi, neque omnibus illicitis actionibus poenam aequalem constitui posse. Diversos potius gradus imputationis ex ipsius delicti qualitate, et ex illa hominis facultate, esse aestimandos, qua gaudet actiones suas dirigendi, bonas eligendi et malas fugiendi. Nihilo tamen secius olim Stoici hanc agendi libertatem
nega-

* 2

negarunt, et, uti omnia, ita etiam delicta, *fato* adscriperunt. Quorum sententiam sequi pariter videtur sub ficto nomine notus Auctor ALEXANDER VON LOCH, o) asserens, mortales semet ipsos esse decepturos, si se liberos putarent, cum tamen refutavit tecto pariter nomine ALEXANDER VON FREY. Observata enim illa, quam §. 14. dedimus, distinctione in actiones liberas et non liberas, huic opinioni rectissimos limites facile ponere possumus. Illae ab arbitrio humano pendent, hae vero originem trahunt vel ex dispositione, ut dicitur, mechanica, vel ex coacta voluntate, et dicuntur *necessariae*, p) *inuitae*, quia e mente, se ipsam non determinante proveniunt. Quae distinctio ratione imputationis necessario attendi debet in poenis intelligendis, et inde patet, non esse admittendam Stoicorum opinionem, omnes actiones in hominis potestate non esse positas, sed a certo *fato* pendere. *Fatum* vero, Graecis *πεπερωμενη* seu *ειμαρμενη* dictum, GELLIVS q) ex sententia Chrylippi definit, quod sit *sempiterna quaedam et indeclinabilis series rerum et catena, volvens semet ipsa sese, et implicans per aeternos consequentiae ordines, ex quibus apta connexaque est*. CICERO r) haec clarius explicat, si fatum appellat *ordinem seriemque causarum, cum causa causae nexa rem ex se gignat*. Ea est ex omni aeternitate fluens veritas *sempiterna*; quod cum ita sit, nihil est factum, quod

o) In libello, qui inscribitur: *über Belohnung und Strafe nach Türkischen Gesetzen*, §. 1. pag. 4.

p) PYFFENDORFIVS in *L. N. et G. L. 1. cap. VII. §. 2.* actiones morales etiam dicit *necessarias*, quas quis ex lege aut insu superioris facere tenetur, sed plane alio respectu. In alio enim significato actio *necessaria* dicitur ratione legis, in alio ratione voluntatis humanae. Semper quidem fundamentum actionum moralium est necessitas a lege imposita, quae agendi libertatem deminuit, cui tamen *necessitati* cum opponatur *licentia*, actiones morales etiam sunt *spontaneae*, si hominis voluntas libera actionem illicitam decernit ac eligit.

q) Noct. attic. L. VI. c. 2.

r) de divinat. L. 1. cap. 55.

quod non futurum fuerit, eodemque modo nihil est futurum, cuius non causas id ipsum efficientes natura contineat. Ex hac notione Philosophi putabant, in aeterna fatorum lege ita esse destinatum, ut omnia mala necessario fiant, quia iam aliquando euentura, esset constitutum, atque ex immutabili, ut dicitur, consecutione omnium rerum, homines redderentur instrumenta actionum fearum, quas libere dirigere penes ipsos non esset. Quam opinionem SENECA *Epist. 16.* impugnat, inquit: quid mihi prodest philosophia, si fatum est? quid prodest, si casus imperat? nam et mutari certa non possunt, et nihil praeparari potest aduersus incerta, si aut consilium meum Deus occupauit, decreuitque, quid facerem, aut consilio meo nil fortuna permittit. Nihilo tamen secius modo adductus ALEXANDER VON LOCH fatetur, se rationibus destituit, hanc de fato sententiam improbandi, quas ALEXANDER VON FREY ex grauioribus momentis diduxit, siue enim fatum Stoicorum, siue Epicuraeorum fortuitam confusionem (*Θυρμον επικαιότητων*) assumendam statuunt, ex utroque conclusio, quae in contumeliam diuini numinis vergit, concipitur. Hinc SVETONIUS *1)* ideo Tiberium circa Deos et religiones negligentiorem fuisse narrat, quia *persuasionis plenus, cuncta fato agi crederet.* Deus enim omnium malorum quasi auctor constituitur, quem errorem grauissimum vindicat MAX. TYRIVS, *2)* qui cuiusdam Graeci Poetae versus, citat, qui, in latinam linguam ita translati, sonant:

*Adscribunt superis homines mala, cum tamen ipsi
Criminibus propriis sibi talia damna creant;*

Latiusque describit PRUDENTIVS, *u)* qui ita loquentem inducit:

*Si non vult Deus esse malum, cur non verat? inquit;
Condidit ergo malum Dominus, quod spectat ab alto,*

* 3

Et

1) in Tiberio c. 69.

2) Dissert. 25. p. 255. edit. Heinf.

u) in carm. *Hamarrigenia* v. 640 sqq.

Et patitur, fierique probat, tanquam ipse creavit,
 Ipse creavit enim, quod cum discludere possit,
 Non abolet, longoque sinit grassari usu;

ipse tamen statim his improbis cogitandi rationibus iudicium et calculum iustum addit:

*Quis ferat haec iniecta Deo conuicia? qui se
 Diuinis meminit praecllere nobilitatum
 Muneribus.*

Optime tamen hanc impiam quaestionem discussit et decidit AGATHIAS, v) qui, malorum causam, inquit, non arbitror esse in siderum cursu, constitutisque fatalibus et incredibili necessitate. Quippe si vincit ubique fati vis, perit ab omnibus libera voluntatis electio, tum vero mortua omnia infirmitate cadunt: euanescent spes eorum, qui vitam honestissimam egerunt. Sed nec fas reor caedes multas et vulnera Deo adscribere. Cui sententiae suffragatur MARCVS ANTONINVS L. II. c. u. Deos ea in hominis potestate et arbitrio posuisse, quae vere mala essent, et quidem ex ea sat graui ratione: *ne in ea quispiam incidat* $\nu\alpha\ \mu\eta\ \pi\epsilon\sigma\sigma\omega\pi\tau\eta$. Pari etiam modo eiusmodi de fato sententia humanae societati exitiosa habetur, quia haec exinde falsa deduci potest conclusio, delicta esse necessaria, mortalesque non gaudere libera facultate, ea omittendi, potius quasi iugo inenitabilis necessitatis esse subiectos, poenamque in lege statutam applicari non posse. Lex enim eum obligare non potest, penes quem non stat ei obtemperare. Inde recte monet GELLIVS l. cit. varia dubia sententiae fuisse obiecta, quam Chrylippus de fato habuit. Ex ea enim posse colligi, delicta hominum non sustentanda neque condicenda esse ipsis, voluntatibusque eorum; sed necessitati cuiquam et instantiae, quae oritur ex fato, omnium quae sit rerum domina et arbitra; et propterea nocentium poenas legibus inique constitutas, si homines ad

v) Lib. I. cap. 7.

ad maleficia non sponte veniunt, sed fato trahuntur. w) Omnis potius culpa ad fatum, tanquam auctorem sceleris redit, cuius imperio quis adductus, instar tyranni parere debuit, ut IOCASTA apud SENECAM x) se excusat

Fati ista culpa est: nemo sit fato nocens,

pariterque AGAMEMNON apud HOMERUM y) sibi obiecta conuicia declinare studet; non in causa sum, inquit, sed Iupiter et fatum et Erinys. Sed si penes nos non est aliquid velle et nolle, cessare debet discrimen inter praemia et poenas, cum virtus et vitium in fatali necessitate terminos habeat constitutos. Vitae humanae actiones instar rotae a fato quasi volubiles mouerentur, hominesque errore, cui non sit resistendum, ex sententia HORATII z) raperentur

Despiciant omnes aequae ac tu, qui tibi nomen

Insano posuere. Velut fluis, ubi passim

Palantes error certo de tramite pellit;

III

w) Hinc ipse Chrysis ex praeceptis Pythagoreis fatetur, homines haurire spontaneas calamitates, et suo impetu delinquere, et in commoda ruere ex sua electione et intentione (κατα την αυτων διανοσαν και προσετιν.) et ideo salutem et necessariam rerum consequentiam dicit adesse, quod mala ingenia peccatis et erroribus non vacent.

x) In Oedipo v. 1019 et v. 980. Chorus vim fati depingit:

Fatis agimur: cedere fatis.

Non sollicitae possunt curae

Mutare rari flamina fusi.

Quicquid patimur mortale genus

Quicquid facimus, venit ex alto.

y) Iliad. T. v. 36. εν αιτιος ειμι, αλλα Zeus και Μοιρα.

z) Serm. L. II. l. 3. v. 47.

Ille finistrorsum, hic dextrorsum abit; unus utriusque
Error, sed variis illudit partibus.

Et quamvis errare, vti vulgo dicitur, *humanum sit*, quilibet tamen in semet ipso insitam habet facultatem, se contra eiusmodi errores vincibiles praemuniendi, qua si non vtitur, culpa sua in delicti viam inclinatur, et a proposito suo aberrat, a) quod necessario erat sequendum. Hinc recte SENECA loc. cit. ad philosophiam confugiendum esse suadet, *sive nos inexorabili lege fata constringunt, sive arbiter Deus universa cuncta disponit, sive casus rei humanas sine ordine impellit et iactat, philosophia nos tueri debet. Haec adhortabitur, ut Deo libenter pareamus, et fortunae contumaciter resistamus; et paucis interiectis addit: te moneo et exhortor, ne patiaris animum tuum delabi et refrigerare. Quibus omnibus recte perpenis argumentis, vltioribus demonstrare non opus duco, peruersam esse opinionem, ex fato delicta deducere, hominesque certos poenis aeterna lege deuotos fingere, quibus (vti vulgi est interdum communis loquendi ratio) iam ipsa natura crimen committendum fronti quasi inussit et pictura impressit. Indagemus potius veriorum delictorum causam, quam iam obiter, de origine delictorum disferentes, §. 3. Spec. I. attigimus.*

§. 18.

Delictorum causa est neglectum sanae rationis praesidium.

Omne delictum supponit actionem illicitam, ab illo admissam, qui facultate pollebat indolem actionum accurata meditatione explorandi et trutina quasi examinandi. Hoc respectu homo insitum habet propositum ea omittendi, quae sine iure salutem aliorum infringunt, et ex eo neglecto omne fundamentum imputationis, et delicti causa aefli-

a) Inde recte ANTONINVS L. IX. c. 42. docet: *παις ὁ ἀμαρτανων ἀφάρμαρτανει τὰ προκειμενα, καὶ πεπλανηται.*

aestimanda videtur. Ita iam CICERO *b)* observavit, omnes animi morbos (i. e. delicta) ex aspernate rationis euenire. Homines enim instructi sunt insigni intellectus lumine, quod facem praeferre debet rebus cognoscendis, appetendis ac fugiendis. Gaudent insita vi bonum a malo, iustum ab iniusto fecernendi, sibi que id, quod sana ratio suadet, eligendi. *c)* Natura, inquit CICERO, *d)* vi rationes hominum homini conciliat, et ad orationis et ad vitae societatem; quibus haec addit: nec vero illa parua vis est naturae, rationisque, quod hoc unum animal sentit, quid sit ordo, quid sit quod deceat in factis, dictisque qui modus. Si igitur haec naturae vis supprimitur, si sanae rationis consilia negliguntur, mortales a via recta, in quam illa ducit, recedunt, et in devia feruntur. Et quia ea est corporis humani conditio, ut se ipsum non gubernet, *e)* sed intellectus praesidio indigeat, veteres hunc aurigae, illud curru, affectionesque animi equis ferocibus, aequipararunt. *f)* Quod rationis moderamen MAX. TYRIVS *g)* ita describit: Θεος ἐπιθεῖς τὴν ψυχὴν σώματι, ὡς ἠνιοχὸν ἀρματι, καὶ παραδὲς τὰς ἡνίας τῷ ἠνιοχῷ ἀφῆκε θεῖν; et paucis interpolitus pergit: καὶ ἀρχει τὸ ἀρματος καὶ κολάζει τὰς τῶν ἰπποδρόμων πᾶν

b) Tusc. quaest. Lib. 1. c. 3.

c) Ita recte ARISTOTELIS Polit. L. 1. c. 2. §. 5. docet, hominem habere ἀγαθὸν, καὶ κακὸν, καὶ δικαίαν, καὶ ἀδικὴν αἰσθησίν; et CICERO de fin. L. V. c. 23. naturam hominis sic generatam esse, ut habeat quiddam innatum.

d) de offic. L. 1. c. 4.

e) vid. SIMPLICIUS in proem. ad Epictet. cap. VI. asserens: σῶμα ἐαυτὸν ἔχει.

f) Inde notandae phrasae apud Vet. Philosophos animam imperare, corpus parere, MAX. TYRIVM Diff. 41. pag. 408. et PLATO in Phaedr. pag. 60. edit. Biein. corpus ἀρχειν καὶ ἀρχεσθῆναι ἢ φύσιν προσαττεῖ, animam vero ἀρχειν καὶ δεσποτεῖν; et Garg. pag. 317. ψυχὴ τῷ σώματι ἐπέσαται.

g) Diff. 25. pag. 259. et 408.

* *

ἡδὼν ὀφείλει, Deus animam corpori imposuit tanquam aurigam plastro, h) quae habenas teneat, et currum regat impetusque castiget equorum. Non sine causa enim animi affectiones cum equis exultantibus comparantur, quas coercere ac continere perinde difficile est, atque equos domare sine ordine huc et illuc vagantes, qui cursu praecipitato currum in viam sinistram trahunt, ut mox a summo ad imum praecipitentur. Ad haec pariter alludit Dio CHRYSOSTOMVS i) aurigam magno verari in periculo si equi coeperint dissidentes alius alio distrahere, id eoque PLATO k) eiusmodi perfectionem duram et difficilem fieri dicit. Hinc veteres eum maiorem victorem coluerunt, qui hos animi impetus vincit, quam qui oppida firmissima expugnauit, quam sententiam verba PLAVTI l) clarius illustrent sequentia

Si animus hominem perpulit, actum est; animo seruibit non sibi:

Sin ipse animum perpulit; dum viuuit victor victorum cluet,

et ita iram colibere, cupiditatem compescere, libidinem refracnare, a LACTANTIO aliisque inter virtutes maximas refertur, et ille mentis robur inuictum gerit, qui maximis tentatus, propositi boni tenax permanet. m) Et sic penes hominem est haec affectionum vim rumpere,

h) Similis sententia legitur apud PLATONVM in *Phaedr.* p. 1221. ad quam prouocat PLUTARCHVS in *quaest. platon.* pag. 1008. inquit: ipse Plato rationem aurigam fecit.

i) *Orat.* 37. p. 472. edit. Morell. vid. et THEODORETVS T. III. P. I. p. 77.

k) in *Phaedr.* pag. 1221. vocatur χαλεπή και δυσκόλος ἡνιοχίσις.

l) in *Trin. A. II. f. 2. v. 27.* in quo loco *animus* idem est ac *libido*, vti interpretes notarunt; hinc ipse CICERO *Tusc.* qu. L. III. c. 5. *mentem* et *animum* ita distinguit afferens: *menti regnum totius animi a natura tributum est; ita et sumitur ab HORATIO Lib. I. epist. 2. v. 62.*

Ira furor brevis est; animum rege: qui nisi parcat,

Imperat, hunc fraenis, hunc tu compesce catena.

m) Ita vetus Poeta PHILEMON apud STOBAEVM serm. IX. de hac re iam ita cecinit:

Ἄλλ' ὅς τα μεγάλα καρτερεῖ μη λαμβανῶν,
Ἐχει δυνάμενος και κρατεῖν ἀσημίως.

et retinere si modo ad sanae rationis oraculum, quae teste EYRIPIDEN) instar *optimi vatis* colenda est, confugere et praecepta ex tripode quasi dicta sequi velit. Ipsa recte officio suo defungitur, donec, ab illis victa, resistere amplius non possit. De quo infortunio loquitur SE-NECA, o) *ratio ipsa, inquit, cui fraena traduntur, tamdiu potens est, quamdiu diducta est ab affectibus. Si miscuit se illis, et inquit, non potest continere, quos subiuuere potuisset. Commota enim semel et concussa mens ei seruit, a quo impellitur.* Et ita bonis consiliis obstat voluntas, quae interdum similis carinae

*Quam ventus, ventoque rapit contrarius aestus,
Vim geminam sentit, paretque incerta duobus,*

incerta vacillat, vt in vetitum nitatur, et negata concupiscat ex falso conceptis momentis, quia aliud cupido, mens aliud, teste OVIDIO, suadet. Omnis enim actio certum finem respicit, et quicquid homo intendit, agere debet ductus rationibus, quae vulgo dicuntur *motiua*. Haec vero, cum de re ignota iudicari nequeat, semper insunt iudicio de *bono et malo*. Illud bonum, est vel *verum* et natura sua salutare, vel *apparens*, et tale tantum ex opinione agentis, ipsique ex post facto nociuum. Sic, posito casu, fur prius fores quam effringit, antea saepius secum concipit ex hoc facto consequentia damna, et interdum iam in furto committendo occupatus, consilio rationis admonitus, actione recte ex fine suo iudicata, desistit, quae ita HORATIUS p) exprimit:

*Non sum moechus ais, neque ego hercule fur, ubi vasa
Praetereo sapiens argentea; — — —*

Sed idem alio tempore delictum meditatus, illud ex male concepta spe lucri admisit, quia praua voluntas verum bonum ab apparenti non discreuit, neque hoc sapientis dictum

Quicquid agis, prudenter agas et respice finem,

sibi

n) in Helena v. 763. *γνώμη δ' ἀρίστη μαντίας ἢ εὐβελίας.*

o) de ira Lib. I. Cap. 7.

p) Lib. II. sat. 7. v. 72.

sibi pariter dictum putavit. Hoc enim animi munus est, teste CICERONE, q) ratione uti, et sapientis animus ita semper est affectus ut ratione optime utatur et nunquam sit perturbatus. Ex quibus omnibus abunde probatur, hominem in se habere vires malis actionibus resistendi, ut ita recte concludat XENOPHON, r) hanc facultatem bona faciendi, mala vero fugiendi, a Deo non esse insitam, nisi illorum electio in hominum potestate esset collocata. Sed quid? si iudicium intellectus anceps haereat, et discernere nequeat bonum aliquid vel malum, quid agendum quidue sit omittendum, quam animi conditionem PVENDORFIVS s) vocat *conscientiam dubiam*, qualem tamen nondari recte statuit THOMASIVS t) quia *dubitatio non sit animi iudicium, sed iudicii suspensio*, cuius sententiae etiam subscripsit MASCOVIVS in notis ad cit. loc. PVENDORFII. Nam qui iudicium suspendit, re vera non iudicat, ut indolem actionis inuestigare nondum potuerit, quod si nihilo tamen minus agat, peccat, quia iudicandi facultate, qua instructus est, non sit vltus. *Aequitas enim*, ait CICERO, u) *lucet ipsa per se: dubitatio autem cogitationem significat iniuriae*. Hinc in eo fluctuantis animi statu assuecendum est formandis iudiciis certis et determinatis de omnibus rebus quae sese offerunt, et quilibet sibi in agendo haec STATIVS dicta acclamet:

*Da spatium tenuemque moram, male cuncta ministrat
Impetus — —*

q) Tusc. quaest. Lib. III. c. 7.

r) In memorab. Socratis Lib. I. cap. 4. §. 16. οἱ δ' αὖν τὰς θεῶν τοῖς ἀνθρώποις δόξαν ἐμφυτοῖς, ὡς ἰκανοὶ εἶναι ἐν καὶ κακῶς ποιεῖν, εἰ μὴ δυνάται ἦσαν.

s) in I. N. et G. Lib. I. c. 3. §. 8.

t) Instit. iurispud. diuin. L. I. c. 1. §. 59.

u) de offic. L. I. cap. 9.

v) Theb. L. X. v. 696.





Wilkenberg, Diss., 1792/93 ✓


ULB Halle

3

006 009 964







28

OBSERVATIONVM
DE POENIS ILLARVMQVE FINIBVS EX PLACITIS IV.
RIS NATVRAE RECTE AESTIMANDIS,

SPECIMEN IV.

Q V A S

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
PRAESIDE
CAROLO FRIDERICO TRILLERO

PHIL. ET IVR. VTR. DOCTORE

DIE XIV. FEBRVARIJ A. R. S. MDCCXCHII.

H. L. Q. C.

E NVMERO EORVM

QVI SVB EIVS AVSPICHS SCRIBENDO ET DISSERENDO
SE EXERCENT

PVBLCO IRVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

FRIDERICVS GVILIELMVS LAVTSCH
IESSENA - SAXO.

VITEMBERGAE,
LITERIS TMSCHIEDRICHII.

